



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

An fidem Thomas amiserit

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

telligendum est, hoc dixisse Apostolum, non quia haberet potestatem & auctoritatem dandi Spiritum sanctum sed quia ministerium habuerit in quo dabatur à Deo Spiritus sanctus. Ut enim ait D. Augustinus, super eundem locum, exponens illud Apostoli verbum, Ab Apostolo predicata est eis fides: in qua predicatione aduentum & presentiam Spiritus sancti senserunt, sicut illo tempore in nouitate inuentionis ad fidem, etiam sensibilibus miraculis presentia Spiritus sancti apparebat, ut in actibus Apostolorum legitur. Aperre hic ostendit quomodo illis Spiritum sanctum Apostolus tribuerit: non utique ipsum mittendo in eos, sed predicando eis fidem Christi: quam illi recipientibus quod Spiritus sanctus in eis esset, aliquibus signis visibilibus monstrabatur. Non ergo homines quantumcumque sancti dare possunt Spiritum sanctum.

Ministri ad Spiritus sancti dationem.

Nec inuenit Lombardi malix Danæus Beza, quod carperet, nisi interpretationem c. 3. ad Galatas, in qua tamen ipsam Lombardi sententiam nequaquam reprehendit de Spiritu sancto non nisi à Deo nobis dato. Verba Danæi: Ex quibus ipsis satis intelligitur si quis ea ad Paulum & apostolos referat, de ministerio tantum, non etiam de ipsa auctoritate agi, quæ penes unum Deum sit: quamuis ille aliam interpretationem sequatur. Cum ergo neget Augustinus, Lombardus, omnes Scholastici qui commentati sunt in Lombardum, Episcopos dare Spiritum sanctum, cum inter eos multi sint Episcopi, & pontifices, cuius oris est, dicere Episcopos sibi Dei gloriam usurpare, dum in eam ruendo se dare spiritum; sunt rictus illi de præcordis hæreticorum, qui de ingurgitatione cæcæ demonis violenter erumpunt. Cæterum egregie hunc locum de missione apostolorum, & dato Spiritu sancto exposuit Turrianus noster l. 1. de ordinatione Hierarchica ministrorum Ecclesiæ c. 2. 2. 3.

Deus solus dat Spiritum sanctum.

§. 6. Tam longe autem ab illa blasphemia absunt, ut omnes Catholici tractatores potius consensu magno doceant, contra Arianos tanquam irrefragabili testimonio diuinitatē Christi probari. Solum enim Dei est dare Spiritum sanctum. Sic & Athanasius orat. 1. contra Arianos: Ἀμέλει ὡς περ πρὸς τῆς ἐκκλησίας λόγῳ ὡν ἐχρησθη τοῖς ἀρχαῖς ὡς ἰδὼν τὸ πνεῦμα, ἑταῖος ἢ ἀδελφῶτος ἠρόμενος, ἀγίαται πάντας τῶ πνεύματι. Nimirum quemadmodum ante incarnationem cum verbum esset, dabat sanctis, ut proprium Spiritum sanctum, sic & homo factus sanctificat omnes spiritu. Ex quo demonstrat verbum non mutari, sed dare nunc ut ante Spiritum sanctum, accipere ut hominem, dare ut verbum. Verbum esse, quod manet in æternum.

QUESTIO II.

Quomodo nunc accipiant spiritum?

Sacerdotes creati apostoli.

§. 1. Sine gratia vocati non sunt, sine gratia non crediderunt, in die pentecostes vberimam gratiam acceperunt, nunc vero gratiam ordinationis, & sacerdotij sui præcipue acceperunt. Variæ sunt enim dispensationes & dona gratiarum, nunc eius præcipue est mentio, quod in soluendis & ligandis consistit, de quo apud Mathæum multa dicta sunt. Nec noua sunt, quæ hoc loco Caluinus, Rudolphus, alij; obijciunt. Consili potest inter alios noster Gregorius de Valentia libro de necessitate confessionis. Absolutam sententia D. Chrysostomi dialogo 3. Ἐλ ἰερωσύνης, c. 5. ὁ πρὸς ἁγιογράφων τῶν ἱερέων, τῶν δὲ τοῦ θεοῦ ἀποστόλων, ἢ τῶν δόξαν ἠρώμενος ὁ δεινότατος Βελγίος. Quæ faciunt sacerdotes, illa Deus suprarata habet, & sententiâ seruorum Dominus confirmat.

Non intelligenda esse de sola annunciatione & res ipsa & patres docent. Quin & aduersariorum dissensiones. Caluinus hic fanaticos reprehendit claves Ecclesiæ, & ministrorum annunciationes, & bruta fulmina protulit contemnant.

Ipsæ vero stultitia omnem fanaticismum anteit. Dum apostolos ad hoc factos, ministros tactat, ut salutem & remissionem peccatorum annuncient. Imo

quibus illi renunciant remissa esse peccata; ita certum esse ait remissionis ac si Deus ipso suo sacrosancto ore id assereret. Videmus nunc, inquit, cur tunc splendido elogio commendat Christus ac ornet ministerium quod apostolis iniungit, nempe ut tuto sibi persuadeant fideles ratum esse quod audiunt de remissis peccatis, nec minoris faciunt reconciliationem, quæ voce hominis offertur, quam si Deus ipsum manum è celo porrigeret. Non potest ea esse certitudo in voce hominis. Nam imprimis omnis homo mendax est, & nimis frequenter à vero abeunt ministri Caluiniani, adeo, ut à Lutheranis non mendaces, sed ipsum mendacium vocentur. Deinde si quæram ex ministro. Dicis tu mihi peccata remissa esse, unde nosti? Tu n' certus, an in certus es de meo statu? An tu rimatus es cor mecum, & tenebras examinasti? cur igitur tam certo me certum esse vis, cum albus an ater sim nescias. Si credas inquit, & regentus sis, & Spiritum sanctum habeas, remissa sunt. Quasi vero hoc quisquam Christianus ignoret, postis omnibus hypothesebus salutis & iustitiae, saluos & iustos esse homines. Non quaeritur hic an prædestinatus certo salutem assecutus sit, sed an ego vel ille sit prædestinatus. Hoc si mihi Deus æterna, immutabilisq; dicat veritas, si manū porrigat, celoq; inferat, certissimum me faciet; si vero minister id miles clamet, non credam illi me certum esse, quamdiu ille incertum esse confiteretur, quod certo mihi persuadere conatur: nam nihil tale tam impudenter audent impostores, & circumforanei, qui ut improbas merces obtendant credulo popello, esse iustas, & se ea de re certos esse peccant, nemo vendit merces, ut dicat sibi notas, alius notas & probatas esse debere. Nam quam fronte me electum à Deo, & in sum afferis, & verbis tuis haberi fidem me postulas, perinde ac si ex Trinitatis arcano consilio prodirent, si tu idem id nescire te profiteare? Multos cullit retro aras in sania famosis, multos paritandi arte nobiliss, nemo Caluinianos Gnatones æquauit, nam veterū illi diuinitum arrosos & irrisores, laudes quas falso aliis tribuebant veras esse se credere simulabant: Caluiniani cum falsis encomiis miseris demerantur, ac credere iusserunt, ipsos iustos, beatos esse, verene an falso ita dixerint, ignorare se fatentur.

VERSUS 26.

Et post dies octo, iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis.

QUESTIO I.

An fidem Thomas amisit?

§. 1. Caluinus cum id concedere videatur, postea tamen negat. [Thomas inquit, incredulitas refertur. Non modo tardus ille & difficilis ad credendum fuit, sed etiam contumax. Peruicaciam illi ingenitam impedisse ipsam, verba eius nihil habent fidei, sed sensuale iudicium. Mirus autem ac prodigiosus Thomæ stupor: simplici Christi conspectu non contentus, manus quoq; volebat sibi resurrexerunt testes esse. Ita non pertinax solum, sed superbus etiam, & in Christum contumeliosus erat, non prius respicit, quam tactu ipso conuictus esset.] Quis hominem talem fidelem crederet? Caluinus tamen negat fidem extinctam, concedit suffocatum, exemplo Davidis qui libidinis luxu compos se cure exultat, ita de cæteris quoq; iudicat. Quantū ad homines attinet, perinde rei sunt ac si fide, & omni Spiritus sancti gratia se abdicassent, sed sit immensa Dei bonitate ne electi in tantum alienationis precipitium ruant.

Hæc

ADAMI CONZEN
112
+ Evangelium
CV
11

Fides Caluini-
niana.

Hæc est ergo fides Caluiniiana iustificans, qua iusti manent, Spiritus gratiam reuinent, et si in creduli sint, contumaces, pertinaces, prodigiose stupidi, superbi, in Christum contumeliosi, in libidine exultent, perinde se habeant, ac si fidem cum gratia omni Sp. S. abdicassent. Hoc est omni se flagitio contaminent; qua quidē iustitia nihil magis nefarium excogitari potest. Eiusmodi hominē si profiteatur se aliquando credidisse electum se esse, beatum, iustumq; prædicant. Indelebilem illā fidem esse: vt mirum non sit tātam in mundum induci improbitatem per Caluinismum, quantam ne idololatriæ quidem colluuiēs inuenit. Accedit tamen aliā ex parte summa eorum, in alios qui mysterijs illis initiati recusant, censurę acerbitas. Thomas post tot uisa miracula, auditaq; conciones iam incredulus, contumax superbus, contumeliosus, fidem, & iustitiam non amittit. At ego si hoc non credo, si talem hominem negem iustum & fidelē, mox à Caluinistis tanquā Antichristianus Satanæ addicor: cur illi qui in suis iustis omnia flagitia, etiam adulteria & homicidia negant abesse iustitiæ, Me, si ea de re dubito, infidelem, & reprobum proclamant. Dura profecto in alienos, stauis in suos hæresis. Video Caluinianū non modo tardum ad credendū, sed incredulitate contumacem, superbū, adulterū, homicidam, contumacem, peritum, incendiarium, aliena regna occupantem, mūdum sanguine innoxio purpurantē, hunc Caluinus electum, suæ fidei iustificantis, ideoq; iustitiæ, & gratiæ indelebilis, retinentem pronunciat: meam hæsitatiōnem, si id non probem æternis ignib; addicit. Cur nō mea quoq; veniam mereri potest dubitatio, cur non cum illa scintilla latere fidei, quam accendat aliquando Sp. S. vt talem hominem fidelem, iustum, sanctum fuisse, & esse in medio illo scelerum æstu ipse quoq; uideam? Ecce peccator ille Caluinianus se iustum, & beatum nouit, & cum in Christum nō credit, fidelis & iustus est; nam soffocata fidei scintilla iniustus esse non sinit, cur ego continuo infidelis & iniustus fuero, si in Eucharistia credā esse corpus Christi, quod dicit Christus: non credam corporis figuram, quam dicit Caluinus? A deone fragilis est mea fides, vt vnus, eiusq; nouitiæ glossæ *amisa* non modo, soffocet, sed exlinguat, rotam cum fide gratiam, Caluinianus illa omnia retineat, si resurrectionem credere pertinaciter recuset?

Fides Caluini-
niana.

§. 2. Caluino contrarius est Rudolphus Gualterus, qui Apostolos errasse in re ad salutem necessaria fatetur. Vniuersum opus redemptionis in dubium uocasse Thomam non credidisse carnis resurrectionem, et si aliquos excitatos uidisset, Apostolos uanitatis & mendacij arguisses, nec scripturas, nec Christi prædictiones in mentem reuocasse. Tales fuisse Israelitas in deserto, addit. Nusquam illud frequentius, & impudentius fit, quam in resurrectionis articulo. Etsi enim huius exempli euidentissima nobis in rerū natura ob oculos ponantur, quæ scripturis sacris fidem possint facere, non desunt tamen, qui scurrili dicacitate, (sicut futurum Petrus prædixit) omnia in dubium uocant, quæ de nouissimo huius sæculi fine, de corporum restitutione, & uita æterna dicuntur: neq; alijs ista argumentis oppugnant, quā quæ sub sensum cadunt Quis, (aiunt) vnquam arcano Dei consilio interfuit, vt mundum aliquando ueritum intellexerit? Quis è caelis, aut inferis rediit? Quis oculatus eorum testis produci potest, quæ de his dicuntur, Si illa uidere coram, & sensu percipere liceret, tunc tuto credi possent. Quis uero non plus quam insanos dixerit, si quæ in manibus sunt, huius uitæ commoda, propter incertam futurorum spem amittamus? Quid autem isti aliud dicunt quam Thomas? &c.] Si igitur illi tales, nō sunt fideles, nec Tho-

Adami Conzen in Euang. Tom. II.

mas erat, qui se contumaciter ueritati opponit, ut ait se Arius. Nec ad rem facit, quod Christum resurrexisset optat; nam & illi per suas voluptates optant futura bona, si quæ sint adire.

§. 3. Aliud uero concludit uanissime eodem ex loco Rudolphus. [Et arguitur hisce exemplis, inquit, illorū impudentia, qui Romanos pontifices errare posse negant, cum Apostoli in ijs errarint, & dubitarint turpissime, sine quibus salus nostra consistere non potest. Discant potius omnes loci, & ordinis homines de se metipsis humiliter sentire, & in solum Dei uerbum respicere, quod ipsos errare non sinet.]

Respondeo. Non omnes Apostolos contra fidem errasse; nam Petro Christus dicit, se rogasse ne deficeret fides eius, mulieribus non crediderunt nunciantibus, quod testimonium sufficiens non uideretur, nec infideles, sed tardi ad credendum omnes fuerunt. Nō est autem eadem omnium ratio. Deinde Apostoli nō dum eo tempore erant Ecclesiæ pastores cum mulieres resurrectionem illis nunciarent, at post acceptum hoc munus, & Spiritum, non errarunt.

Quid uero mirum si pontificē negamus errare posse, ob Dei qua Ecclesiæ suæ præest, auxilium, cum suis electis omnibus hoc concedat: Caluinistæ: Eos, aiunt, in solum Dei uerbum respicere, quod errare non sinit. Si uerbum Dei errare non sinit Caluinistam vllum in ijs sine quibus salus nostra consistere non potest, quomodo errare Thomam permisit? Non erat ille Caluinianus. Si hoc priuilegio muniti sunt omnes Caluiniani, non modo Doctores, sed idiotæ, & mulieres, quæ tandem inuidia est, nos tribuere Pontifici, quæ illi totis turbis affingunt? At illi in solum Dei uerbum respiciunt. Solumne, ita ut cum diuersi sensus esse possint, Deus uerum illis tantum dicit. Nam scripturarum apices, sine sensu parum ad rem faciunt. Sensum ergo uitam, Spiritum mysteria scripturæ illis Deus reuelat, nec errare sinit. At si ex idiota Tigurino quæram, unde scis illam esse scripturam? unde tibi certum est eandem in linguā Helueticam sine errore translata: interpretem nec ignorantia, nec vlla negligentia, ne malicia quidē fallere: quid mihi ex uerbo Dei respondebit? Hæc omnia dicit mihi, Dei Spiritus suggerit, errare non potest. At quanto præstat, se qui Ecclesiam, & eius magistratum, quem docendis hominibus Deus præposuit, & tegendis? Verissime Augustin. l. i. c. 33. contra Cresconium. Proinde quamuis huius rei certe de scripturis canonicis non profertur exemplum, eandem tamen scripturam de rerum etiā in hære tenetur ueritas, cum hoc facimus quod uniuersa iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas, ut quoniam sancta scriptura fallere non potest, quisq; falli metuit, huius obscuritate questionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate scriptura demonstrat.

Apostoli post acceptum Spiritum sanctum, & pentecostē non errarunt.

Caluinistarum iactantia.

VERSVS 28.

Respondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus & Deus meus.

QVAESTIO I.

An Thomæ testimonio Christi diuinitas probetur?

§. 1. HOC ex loco probati Christi diuinitatem docet Synodus Oecomenica uniuersalis quinta collatione 8. Theod. Mopsuestenus interpretatus ita Thomæ uerba est, ut ex admiratione dicere eū sinxerit

Y y

Deus